

ἔνδον. *Αἰσχύλος ἐν Πέρσαις μέμνηται, καὶ Διογενιανὸς ἐν τῇ λέξει (l. ταῖς λέξεσι*) τούτου.*

xxviii Hermannus, V. C. in Dissertatione de versibus apud Aeschylum spuriiis p. xi. locum divinari posse existimat, unde hoc vocabulum allatum est. Equidem tres locos video, ubi sententia, hanc vocem complectens, sensui non incommoda accideret. Nempe post v. 171. militum copia sine opibus, *σθένος ὑπόξυλον* haud inepte dici potuisset. Excidisse etiam videantur post 783. versus aliquot, de artificio quo regnum adeptus erat Darius. Majore tamen cum veritatis specie conjiciat aliquis verum olim fuisse post 781. in quo Smerdis designatus fuerit quasi *ὑπόξυλος*, i. e. *κίβδηλος καὶ οὐ γνήσιος*, uti interpretantur idem Scholiasta et Photius. Sed, ut verum fatear, magnopere suspicor in fabulae titulo a Scholiasta erratum esse. Scripserat forte Diogenianus, vel Phrynichus, *Αἰσχύλος ἐν Περσῶν*. pro *Περσῶν βροῖς*, quod quam facile in *Πέρσαις* transire potuerit, non est cur pluribus ostendam. Quinetiam ipsissimum Aeschyli locum, unde hoc vocabulum allatum est, servasse videtur mihi Athenaeus XI. p. 476. C. *Αἰσχύλος δ' ἐν Περσῶν βροῖς, τοὺς Περσῶν βροῦς παρίστησιν ἀντὶ ποτηρίων τοῖς κέρασι χρωμένους, διὰ τούτων.*

ἀργυρηλάτοις

κέρασι χρυσᾶ στόμια προσβεβλημένοις.

Aeschylus forte hujusmodi versum dederat.

Χρῶνται δ' ὑπόξυλοισιν ἀργυρηλάτοις,

κέρασι. χρυσᾶ στόμια προσβεβλημένοις. †

xxix Epitheton *ἀργυρηλάτοις* optime congruit cum iis, quae de voce *ὑπόξυλος* tradit Phrynichus. Dubitari autem potest an per *κέρατα* in hoc loco *cornua*, proprie sic

* Nihil opus. Lex. Seguiet. p. 334. ὡς φησι Δίδυμος ἐν τῇ τροπικῇ λέξει. Citatur Dorotheus Ascalonita in *Λέξεως συναγωγῇ* ap. Athen. VII. 329. D. Laudantur vero Ἀττικαὶ λέξεις et similia.

† Olim dederam *καὶ κέρασι*. Sed de quantitate penultima *κέρατος* omnino videndus amicus eruditissimus Maltbuis in *Thesaurō Graecae Poeseos*. Mallem tamen *κεράσι*.